

Hübner, P.F.  
De *Hyoscyamo nigro*.  
Linn. 1826 / Diss.

FREIHEIT IN BINDUNG

EX LIBRIS

LÖSETE DOM ZWANG



Dr. Helmut Bester

Dv 736

HYOSCYAMO NIGRO.

DISSERTATIO

PHARMACOLOGICA

CONTRIBUTIO ET OBSERVATIONES  
RATIONALIUM MEDICORUM ORDINIS

BY MEDICINA ET CHIRURGIA HONORIS

GEORGII FRIDERICI HENNER.


UNIVERSITÄTSBIBLIOTHEK

- Medizinalab. -

DÜSSELDORF

V 592

EX LIBRIS



Geheimes Versteck

4.  
DE  
HYOSCYAMO NIGRO.

---

DISSERTATIO  
INAUGURALIS MEDICA,  
QUAM  
CONSENSU ET AUCTORITATE  
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN  
UNIVERSITATE LITTERARIA BEROLINENSI,  
UT SUMMI  
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES  
RITE SIBI CONCEDANTUR,

DIE I. M. APRILIS A. MDCCCXXVI.

H. L. Q. S.

PUBLICICE DEFENDET

AUCTOR

*GEORGIUS FRIDERICUS HÜBNER,*

NAVENO-MARCHICUS.


---

OPPONENTIBUS:

*C. ANGELSTEIN,* MED. ET CHIR. DR.

*E. DE KOENEN,* MED. ET CHIR. DR.

*E. DE SIEBOLD,* MED. ET CHIR. DR.



---

BEROLINI,

LITERIS AUGUSTI PETSCHIL.

DE  
HYOCYAMUS NIGRUS.

DISSERTATIO

IN ACADEMIA MEDICA

CONSENSU ET AUCTORITATE  
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN UNIVERSITATE LIBERAE REIPUBLICAE

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORIS

AB A. M. FRIDERICO HÄNDEL

GEORGIVS FRIDERICVS HÄNDEL

PHYSICVS

OPUS POSTUMVM

BEROLINI

LIBERVS ANTONIVS BELLERIVS

BEATI PATRIS

MANIBUS SACRUM.

BEATI PATRI

MARCI

## PROOEMIUM.

Vetere lege academica institutum est, ut  
medicinae candidatus, ad summos in ūtra-  
que medicina honores impetrandos, inaugu-  
rale edat specimen. Totum medicinae or-  
bem peragranti ad eligendam materiem con-  
gruam plurimae mihi sese obtulerunt dif-  
ficultates. Omnes enim nostrae artis par-  
tes ab eruditissimis viris jam ita pertractatae  
sunt, ut tironi, propria experientia destitu-  
to, nil ferme supersit, quam ut ex undecim  
libris, uti dicunt, duodecimum conscribat.

Diu meditatus, quaenam ex largo medicinae thesauro aptissima esset, tandem e classe Narcoticorum Hyoscyamum nigrum elegi; auctores, quos consulere mihi licuit, consului. Dissertatiunculam igitur hancce lectoribus benevolis trado, memoresque sint, precor, me hancce materiem hoc tantum elegisse consilio, quo mihi accuratiorem de illa pararem cognitionem.

## HISTORICA QUaedam.

**H**yoſcyamus niger, prae aliis narcoticis peculiari-  
bus viribus conſpicua planta biennis, locum habet  
in Pentandriae ordine primo Linnaei; in familia natu-  
rali Solanearum Juffieui, floret mēſe Julio et  
Auguſto, habitat in viis, ſepibus, dumetis, rudera-  
tiſque Germaniae totiuſque fere Europae.

Hyoſcyamum veteribus jam innotuiſſe, docet Hip-  
pocrates (Op. omn. ex edit. Anut. Foeſii Francof.  
MDXCV. Sect. V. p. 32. l. 20). Quae Dioſcorides  
(Op. omn. L. IV. c. 69.) de viribus ejuſ tradit, ad  
folia, cauleſ, ſed potiffimum ad ſemina eorumque  
virtutem doloreſ ſedandi et horum quidem maxime  
uſum internum ſpectant, medico tamen magni  
fructuſ inde haud redundabunt. Extulit collyrium  
ex Hyoſcyami foliis cum ovi vitello coctis Ceuſuſ  
(Lib. VI, cap. 6. n. 9.) ſuccum auri puriſ foetidum  
fundenti immiſit (Lib. VI. c. 7. n. 2). Radicem  
vel in poſca vel in vino, addito ſaliſ tantillo, co-  
ctam ore contineri jubet ad dentium doloreſ tol-  
lendum (Lib. VI. c. 9.) Catapotiiſ, ſomnum addu-

centibus, semen quoque admiscuit (Lib. V. c. 25. n. 2.) Veteres vero potius *Hyoscyamo albo* L. usi sunt, utpote mitiori.

## DESCRIPTIO BOTANICA HYOSC. NIGRI.

### HYOSCYAMUS.

Corolla infundibuliformis, laciniis obtusis, filamenta inflexa; Capsula operculo munita, bilocularis.

*Hyosc. nig.* foliis amplexicaulibus sinuatis, floribus sessilibus Linn. sp. pl. ed. Wild. T. I. p. 1010. Roth Fl. Germ. T. 1. p. 93. T. 2. P. 1. p. 237. Hoffmann Deutschlands Flora, P. 1. p. 78.

*Hyosc. vulgaris et niger* C. Bauhin Pin. 169. Jo. Bauhin hist. 3. p. 627. Bergen Fl. Francof. p. 61. Buxb. Halens. p. 61. Dill. Giefs. p. 93. Rapp. Jen. p. 248. Volck Norimb. p. 218.

### HYOSC. NIGER.

- Radix:** ramosa, fibrillata, colore albo.  
**Caulis:** erectus, subteres, simplex, vel uno alterove ramo praeditus, villosus, viscosus.  
**Folia:** alterna, amplexicaulia, oblonga, dentato-sinuata, villosa, viscida.  
**Flores:** subsessiles, folio-axillares, inter deflorendum spicam secundam formantes.  
**Calyx:** perianthium monophyllum, campanulatum, sexdentatum, villosum, persistens, dentibus acuminatis.

Corolla: monopetala, infundibuliformis, inaequalis, lutea, reticulatim venosa venis purpureis, tubo cylindrico brevi, limbo semiquinquefido, laciniis recto-declinatis.

Stamina: filamenta quinque subulato-inflexa, villosa., Antherae oblongae, cyano-violaceae; Pollen album, ex corpusculis oblongis constans.

Pistillum: Germen subrotundum, stylus filiformis, inflexus, in parte inferiori pilis subtilibus munitus, stamina longitudine aequans. Stigma depressum, capitatum.

Pericarpium: Capsula subrotunda, ovata, in utroque latere sulco longitudinali insignis, operculata, calyce persistente arcte cincta.

Semina: numerosa, reniformia.

---

#### PRINCIPIA S. ELEMENTA CHEMICA.

Principium, cui potissimum competit H. efficacia atque virtus, Rungio (Neueste phytochemische Entdeckungen etc. Erste Lieferung, Berl. 1820. p. 106 seqq., ubi fusius de hac re disseritur) esse videtur principium quoddam basicum peculiare, vi pupillam dilatante conspicuum; obstant ei acida duo, quae, ut exhibeantur, extractionem Hyöscyami accuratissimam vindicant. Ad hunc finem illaesa, calore solis siccata, non concisa H. folia extractioni submittantur aquae frigidae lenisque pressionis ope. Obtinetur hoc modo extractum coloris subfusi, maximam partem e narcotica basi et acidis duo-

bus constans. Acida, addito plumbo acetico, sejungantur. Plumbum aceticum acidum nempe, huicce infuso additum, praecipitatum gignit intensum, fuscum, quod, si cum aqua ebullit, aliquantulum pallescit, acidi hydrothionici ope decomponitur acidumque No. I. dimittit. Acidum hoc colorem habet luteum, in pupillam non agit, aethere non solvitur, Alcohole difficulter, ab aqua autem facile, addita calcaria usta praecipitatum efficitur album, flocculentum. Acido No. I. edito, liquor colatus colorem servat luteum. Extracto saturni admisto, oritur praecipitatum intensum, quo edulcorato et, ut supra docuimus, decomposito, acidum No. II. secedit, quod colorem habet ex luteo fuscum, pupillam non dilatat, Aethere non solvitur, facile autem Alcohole et aqua. Solutione in Alcohole ab heterogeneis, forsitan adhuc admixtis, liberandum est acidum.

Principium basicum secundi praecipitati colaturae inest. Plumbum acidi hydrothionici ope sejungitur, acidum vero aceticum supervacaneum et aqua evaporatione, residuum cum Alcohole, principium basicum excipiente, digeritur. Pr. basicum subflavum, pellucidum, aethere, alcohole et aqua solvi potest. Solutiones princ. bas. et acidorum spirituosae in aquosas vertendae atque reagentibus explorandae.

Radicem H. eodem modo tractando, Rung. princ. bas. et acida duo eduxit. Quale autem sit princ. basici cum acidis connubium, nondum satis illustratum. Opinatur R., pr. basicum altero acido

neutrum reddi. Caeterum princ. basicum, R. per analysin obvium, est consociatio salina basis purae cum acido acetico, quam diducere nequivit. Indagavit quoque R. rem profecto haud levis momenti, si experientiae testimoniis firmatur, nempe liquoribus alcalinis causticis basin ipsam, perinde ac vim, quam Iridi infert, deleri, acidis contra vim istam augeri. Ipse caeterum R. fatetur, analysin, quam instituerit, non plane omnibus desideriiis respondere.

#### VIRES H. NIG.

H. muscas aliaque insecta leto dat, cimici Hyoscyami L. contra gratum praebet pabulum. Anserculos, aliasque aves (Bradley's farmers monthly director p. 30.) praesertim gallinacei generis nec non pisces (Mathiol. in Dioscorid. p. 751.) vita expellit. Apri membra ex ejus pastu resolvi docet Aelianus (Var. hist. L. I. c. 7.). Abigunt mures radices per domum projectae (Linn. fl. Suec. p. 199., Schreber verm. Schr. Th. 6. p. 285), quas contra verveces copiosas devorant, sicut et equis, ut pinguescant, semina H. avenae immiscent equorum venditores (Renard Journ. de médec. T. 28. p. 240).

Nec  $\zeta j$  quidem succi foliis expressi nocuit cani (Sproegel Diss. exper. circa venen. p. 19.) Ex  $\zeta j j$  tamen succi inspissati canis vomuit, atque alvi profluvium et soporem cum dilatatione pupillae expertus est (Stoerck de Strammonio etc. p. 28. seqq.). Vaccas et porcos incolumes carpsisse H. legitur

(L'Isle observat. on husbandry Lond. 1757., II. p. 232.; Haller hist. stirp. Helvet. p. 580.). Edit quoque subinde capra, animal polymorpho edulio assuetum.

Nec alienum videbitur, experimenta breviter recensere, quae Ofila circa H. nigr. instituit.

I. Catulo ꝓjj pulveris herbae H. dedit sine eventu. Alteri ꝓjjj Rad. H. rec. et concis. mense Aprili collectae indidit, oesophagum ligatura munivit, post quadraginta horas, nec non tertio die nil nisi virium languorem animadvertit.

II. Cani ꝓvjij succi, ex ꝓjjj Rad. H. rec. mense Aprili collectae, parati, cum aquae ꝓjj Radicisque concisae ꝓj mixti, in ventriculum demisit; Oesophagus ligatus fuit; horis tribus elapsis, somnolentia canem invasit, post horas duas extremitates posteriores languidiores sunt factae, nec flecti potuerunt, pupillae dilatatae, somnolentia aucta; vertigo et convulsiones non aderant, sensus et motus integri. Postero die symptomata immixta apparuerunt, virium tamen languor remanserat; nocte insequente mors supervenit. Sectione cadaveris instituta, canalis cibarii mutatio nulla, in pulmonibus: passim strata coloris coerulei, naturalibus densiora, paullulum stridentia, sanguine liquido et seroso quodam liquore repleta, in conspectum prodierunt.

III. ꝓxjj succi, ex ꝓvj herbae H. rec. contusae parati, cani valido vim intulere nullam.

IV. Hora matutina octava cani valido ꝓjj Decocti, ex ꝓjß Radicis cum aquae ꝓjjj parati, inditae;

oesophagus ligatura circumdatus; inde post dimidiam horam vomituritio et ululatus; hora decima lateri torpidus incubuit canis, interdum convulsio-nibus vexatus, respiratione magna et tarda, hora vespertina decima periit. Ostendit sectio subinde instituta: cor contractum, liquido sanguine dilata-tum, sanguinem in ventriculo sinistro coloris laete rubicundi, in ventriculo dextro autem coloris ni-gricantis, pulmones rosaceos tractumque intestino-rum illaesum.

V. ʒjj Extr. H. a pharmacopola emti, ventri-culo canis validi immissae, nil profecere.

VI. Nec ʒvjj ejusdem extracti in catulo sym-ptomata satis perspicua effecerunt.

VII. Hora sexta matutina in catuli ventricu-lum gr. vj Extr. H. aquosi, a pharmacopola emti, ʒjj aquae soluti, demisit, oesophagum substrinxit Orf.; brevi post vomituritio orta cum ululatu, sen-sus motusque superstites, respiratio alta et cita, horis duabus elapsis vita extincta est. — Cor, justo calidius, non amplius contrahebatur; in ventriculo cordis sinistro sanguinis coagula coloris laete rubi-cundi apparuerunt, in ventriculo dextro eadem co-loris nigricantis, in pulmonibus et digestionis or-ganis mutatio nulla.

VIII. In vulnus, dorso catuli inflictum, ex-tracti aquosi, a pharmacopola emti, ʒjj immissae, reunio vulneris sutura cruenta praestita est; qua-tuor horis praeterlapsis catulus interiit, post quin-quaginta horae minuta sectio in cadavere instituta,

praeter cordis calorem ingentem, nil notatu dignum ostendit.

IX. ʒij Extr. H. aquosi, ex inspissatione succi Rad. recentis Hyoscyami, quam maxime vigentis, parati, additis Aquae ʒij, telae cellulosae femoris canis validi infudit O., irrequietus inde canis, huc illuc titubabat, ululabat, pulsu centies quinquagies micante intra horae minutum; vomuit canis, lateri incubuit, ululatu continuato; anaesthesia, languor extremitatum posteriorum, convulsiones exiguae; horis circiter quinque ab applicatione H. elapsis, exspiravit canis. — Pulmones in cadavere coloris lividi, sanguine repleti, reperiebantur.

X. In vulnus, dorso canis illatum, ʒiv Extr. H. resinosi, a pharmacopola emti, immisit O., reunionem vulneris sutura cruenta perfecit, tertio die vertigine canis exceptus adeo vacillabat, ut ne duos quidem passus progredi posset, quin corrueret; aderat languor artuum posteriorum; sensuum usu superstite. Die sequente valere videbatur, pabulum vero repudiabat; quarto die ab operatione ad latus procumbere perrexit; denuo vertigine cibi-que fastidio correptus, proxima nocte emortuus est. Cerebri ventriculi vacui; Venae superficiae externae hujus organi sanguine repletae et extensae; pulmones ubique coloris intense rubri, interpositis nonnullis locis nigricantibus, paululo minus aequo stridebant; inflammatio vulneris exigua.

XI. Catulus, eodem modo tractatus, nil nisi languorem et anorexiam expertus, septimo die in-

teriit. Sectione instituta nulla organorum mutatio detegi potuit.

XII. In venam jugularem canis vatici grana viginti octo Extracti H. aquosi venalis, Aquae drachmis quatuor soluti, ingesta vertiginem excitavere, languorem extremitatum sensim increscentem, somnolentiam, superstite sensuum integritate; quum post viginti horae minuta idem status perduraret, in alteram venam jugularem grana decem ejusdem extracti, aquae drachma soluti, immissa sunt; canis aubinde dormituriens videbatur, extremitates multo debiliores erant; ad ventrem decubuit, protensis extremitatibus, capite paullulum elevato et sinistrorsum inclinato, convulsio aderat nulla; canis agitatedus est et erectus, quo facto, experrectus, aliquot horas stans degebat, tunc autem pristinum situm recuperabat. Postero die cubiculum, in quo tenebatur, perambulabat, cibo vescebatur paucis, tertio die, iterum vertigine correptus, sexaginta octo circiter horis ab injectione elapsis, posuit animam; pulmones subrubicundi, interjectis maculis parvis nigricantibus; in cerebro nil notatu dignum repertum.

XIII. Octo et quadraginta grana ejusdem extracti, aquae drachmis duabus soluti, in catuli venam jugularem ingesta sunt; quo facto sopor eum invasit cum convulsionibus exiguis extremitatum; deinde interiit. Sectio cadaveris non instituta est.

XIV. Extr. H. resinosi gr. xvjjj cum aquae ʒij in venam jugularem caniculae immissa sunt; mox inde vomituritio, vomitus materiae cujusdam fila-

mentosae, cum bile mixtae; languor extremitatum posteriorum, gravitas capitis, somnolentia, nulla autem vertigo comparebant; post horae quadrantem somnolentia augescebat, facile tamen strepitu quodam canis expergiscebatur. Postero die canis fere sanus, mirante O., circuibat. In alteram venam jugularem ejusdem extracti gr. v cum aquae ꝑ̄ ingestis, riguerunt extremitates posteriores, caput retroflexum, tremor musculorum trunci ortus est. Post tria horae minuta mors supervenit. — Sectione subinde instituta, cor non amplius contrahatur, sanguis ventriculorum cordis coagulatus; ventriculi senistri sanguis colore gaudebat laete rubicundo; pulmones rosacei et sanguine repleti, tractus intestinorum nil obtulit dignum notatu.

Ex hisce periculis sequentia ratiocinia O. deduxit:

- I. Succum et decoctum rad. H. nigri vigentis, ventriculo ingesta, gravia provocare symptomata; sin veris initio adhibeantur, symptomata leviora.
- II. Succum foliorum minus esse efficacem.
- III. Extracto aquoso, evaporatione succi recentis in balneo aquosa parato, easdem fere inesse vires veneficas ac succo; multo minus autem valere, si ex plantae siccatae vel nondum satis adultae decoctione paretur, unde facile colliges, quamobrem extr. H. venale modo majores, modo minores, exerceat vires.
- IV. Eundem fere effectum provocare haecce praeparata, aut in telam cellulosa, aut in ventriculum

lum, aut per injectionem in venas adhibita: applicatione autem in venas facta, exiguam copiam sufficere morti inferendae.

V. Absorberi ea, in circulationem sanguinis vehi, magnamque vim exserere in systema nervosum, animi perturbationibus similem, insequente rigore perspicuo.

VI. Nullam excitari ventriculi inflammationem.

VII. Homines perinde ac bruta H. affici videri.

Hyoscyamus niger homini jam habitu infestus. Boerhave, parando Empl. H., temulentiam contraxit (Haller l. c. Vol. I. p. 254.). In horreum projecta herba ad arcendos glires, servi, ibidem e somno expergefatti vomitu, haemorrhagiarum, stupore et cephalalgia plurium horarum infestati sunt (Gardane Gazette de santé 1773., 1774., pag. 294.). Deliria rixosa, vaporibus effodiendo radicem sparsis, enata legimus (Eph. Nat. Cur. Dec. III. A. 8. Obs. 66.). Foliis, cum jusculo coctis, usi sunt septem homines, indeque vertiginem, ebrietatem, stuporem, vacillationem, amentiam, necessariorum inagnitionem, blaterationem inconcinnam, delirium tanquam synochi, pulsum debilem inaequalem, salivationem, crebram coloris faciei mutationem, imbecillitatem pedum, ingentem sudorem, enuresin, summam manuum inquietem, oppressionem ventriculi, tormina, cephalgiam, experti; inter insolentiora symptomata recensenda sunt tumor et rigiditas manuum in foemina; omnes tamen sunt sanati (Stedman phi-

los. transact. Vol. XLVII. p. 194.). Nec ab enemate, H. folia continente, temulentia, sensuum motusque abolitio, delirium ferox abfuere (Grunwald Misc. Nat. Cur. Dec. III. a. 9. 10. app. p. 181. La Serre ibid. Dec. II. a. 5. obs. 78.). A fotu capitis per Dec. H. Epilepsiam enatam narrat Chph. Seliger (Misc. Nat. Cur. Dec. II. a. 1. obs. 138.). Ab externo usu H. tumorem et stuporem dolorificum manuum ortos, tradit Clau der (Ephem. Nat. Cur. Dec. V. a. 6. obs. 178.). In puero sexenni comesta radice scotomiam, convulsiones, jactationes corporis enormes, spumam oris, oculos torvos, faciem luridam, dyspnoeam apparuisse refert El. Camerarius (Acta Nat. Cur. Vol. I. Obs. 124.). Duæ radices crudæ, a servo pro pastinaca comestæ, crearunt illi ardorem ventriculi, sitim intolerabilem, pervigilia, insaniam et visus labem, quæ ipsa quidem mitigavit acetum epotum, sed postero die multum macularum et vesicularum gangraenosarum in corpore erupit, auxilium tandem ferente natura benefica per diarrhoeam profusam (Blom in Kon. vetensk. acad. Handl. 1774. p. 52.). Totius coenobii alumni coctis præ errore radicibus cum radice cichorei, post ardorem faucium orisque molestissimum, torminibus, scotomia, vesania, variisque hallucinationibus correpti sunt, convaluerunt tamen, uni monachorum autem tanta remansit visus debilitas, ut perspicillis postea illi opus esset (Wepfer hist. Cicut. aquat. p. 230. Gmelin allgem. Geschichte der Pflanzengifte, p. 232.). Aliud triste exemplum refert Hün er wolff

(Misc. Nat. Cur. Dec. III. a. 2. obs. 92.); ex errore nempe radix H. a quinque hominibus comesta sequentia procreavit symptomata: puero tredecim annorum constrictionem faucium, motus convulsivos, visus obtenebrationem, delirium, diarrhoeam, somnum immodicum; foemina stupida obmutuit, excoecata quasi et amens passim errabat per urbem, vomitus, somnus trium dierum successit; puellae sex annorum provocavit anxietatem, lipothymiam, affectus quasi tetanicos, vesaniam, vomitum, somnum duorum dierum; puellae octo annorum pectoris angustias, vertiginem, scotomiam, delirium, strabismum, tetanum pollicis, vomitum, somnum altum; matri, quae parum gustaverat, nauseam, respirationem difficilem, stuporem, verbis et factis obvium. — Hallucinationes circa formam et faciem rerum obviarum et deliria rixosa inde orta vidit Schultze (Misc. Nat. Cur. a. 4., 5., obs. 124.). In alio casu narcosin extremitatum, debilitatem, vertiginem, syncopen iteratam, chemosin induxit radix H. (Cf. Navier recueil period. d'obs. de méd., tom. IV., pag. 113.)

Semina pariter inimicissima esse, multa auctorum observata docent. A Costa (Journ. de méd., de chirurg. et de pharm., tomeXXX. Févr., p. 134.) his exorta sunt: initio ardor per totum corpus internum, caput grave, obnubilatum; post duas horas facies livida, venae totius corporis inflatae, oculorum rubor splendorque, furor inexpugnabilis, cum floccilegio, saltatione, convulsionibus, accessionibus apoplecticarum similibus alternans, pulsus parvus,

celer, intermittens, lingua sicca, munda, hypogastrium sufflatum, tactu dolorificum, retentio urinae, pruritus, horror potulentorum, circulatio sanguinis per duodecim horas aucta, post nychthemera sudor universalis per biduum durans, maxime femorum et crurum; post duas et septuaginta horas efflorescentia cutanea, a zona ad genu usque, pustularum magnarum coacervatarum, variolarum confluentium instar, nullo humore repletarum, post quatuor dies squamis deciduarum; myopia quatuor dierum. A Planchon (Journal de méd., tom. XIX. p. 42.) observata sunt: vertigo, cephalalgia continua, atrox, agrypnia diuturna, insomnia terrificata, motus convulsivi leves extremitatum, modo superiorum, modo inferiorum, anorexia, languor, oculi convulsionibus agitati, prominentes, (post quatuor hebdomades) collum sinistrorsum incurvatum, blandiores epileptici insultus, accessionibus apoplecticis intermisti, sudores ingentes. — Causidicus quidam, sumtis seminum contusorum drachmis duabus loco Anethi adversus dolores colicos, statim insanire coepit, sed vomitoriis haustis intra dimidiam horam convaluit (Helmont Ort. méd., p. 306.). — A seminis usu apud infantem sitim intolerabilem, vertiginem, scotomiam, furorem, somnum altum duorum dierum animadvertit Sloane (Philos. transact, Nr. 457.). — Studiosus seminibus alias ad somnum conciliandum assuefactus, a dosi gr. XXV insignem lassitudinem, tormina, convulsiones, stuporem, pulsum exilem, sensilitatem abolitam perpessus est, sensim tamen

vomitoriis, purgantibus, venaesectione, emerit, sudore sponte exorto (Essays and observat. phys. et litt. Vol. II. p. 243.). — Jnvenis, litteris operam navans, consuetudine adeo induratus, ut Aconitum, Belladonnae baccas impune hauriret, H. semine deglutito, dementiae alteriusque lateris resolutionem tulit, Boerhavia tandem peritia sanatus (Haller l. c.). — Ab Hahnemannno (Fragmenta de virib. medic. posit. P. I. Lips. 1805. p. 131 seqq.) ex Hyoscyami usu, quae sequuntur, symptomata profluxisse dicuntur: efficacia tres aut plures dies emensa; caput obnubilatum et obtenebratio eaque a nimia corporis debilitate in caput adscendere solet; ob angorem et anxietatem agrypnia, dolor capitis, aut obtusus in fronte et fundo cerebri, aut lacerans in occipite, dolor capitis punctorius; taciturnitas, coma vigil; gustatus et olfactus deletus; hallucinatio visus (candelae unius flamma minor apparet, alterius major, quamquam candelae sint pares); narcosis artuum, pedes frigidi, vertigo, memoria debilis, nausea, anorexia sapore integro, vomituritio, salivatio, salivae sapor salsus, sensus mordax in faucibus, dentes labefacti et sensus vibrationis tinnitusque in iis, odontalgia inter manducandum maxime, tanquam dentes alveolis elapsuri essent; in gingivis dolor lacerans, maxime ab aëre frigido; siccitas narium; tussicula sicca; accessus crebri pressionis in praecordiis, respirationem coarctantis; pressio in umbilico, tormina scindentia, spasmi musculorum abdominis, quasi vivo animante intus tumultuante; nisus alvum exonerandi

creber, dolor tensivus, in femorum medio transversus, tanquam nimis curta essent ad scandendas scalas; dolores fixi lumborum, dolor lacerans dorsi; faciei calor et rubor; haemorrhagia narium. Inter reliquias refert Hahnemannus Zelotypiam, rixas, furorem, paralysin vesicae, febrem pomeridianam frigore; valido doloribusque v. c. dorsi stipatam, furunculosis complures majores, meticulositatem summam.

Vogt (Lehrbuch der Pharmakodynamik, Gießen 1821, Bd. I, S. 148 ff.) de efficacia Hyoscyami tres statuit gradus:

I. Opinatur nempe auctor ille sagacissimus, systema nervosum primitus H. affici; in primo autem efficaciae gradu affectio illa systematis nervosi primaria non nisi in statu pathologico animadvertitur. Si adest systematis nervosi peripherici erethismus, H. sensibilitatem auctam imminuere valet; perversam nervorum efficaciam in alias functiones tollit et irritationem minuit; quo fit, ut vasorum abnormi actione, ab eadem perversa systematis nervosi pendente, pulsum placidiorem, aequabiliorem, undosum reddat. Deficiunt praeterea signa systematis irritabilis affecti. Systema vegetativum examinans resorptionem et secretionem auctas inveniet, maxime quidem in cute, in trachea, et systemate lymphatico, multo minus autem in tunicis serosis.

II. In secundo gradu symptomata, systema nervosum primitus infestatum indicantia, evidentiora in lucem prodeunt. Praegressis nonnullis digestionis laesae signis, uti faucium ardore et sicci-

tate, siti magna, nausea aliisque, succedunt: vertigo, gravitas et obtenebratio capitis, somnolentia, vel cephalalgia, vesaniaeque ineuntis vestigia: sensuum actio paullatim imminuitur; oriuntur anosmia, aguestia, susurrus aurium, pseudopia, diplopia, marmarigae, pupillae dilatatio; caput incalescit, rubescit; extremitates frigent; accedunt dolor, narcosis, languor artuum, voluntatis imperio non amplius obtemperantium; loquela difficilis, balba; superveniunt saepius angor, insultus asthmatici crebri, respiratio rara; pulsus initio placidus esse solet, nisi plenitas ejus et frequentia paululum augeatur; in plethoricis tantummodo hominibus orgasmus sanguinis cernitur; deinde pulsum frequentia et durities magis magisque imminuuntur, haud raro pulsum minimum nuncupares. Octo vel quindecim horis elapsis, insequuntur secretionnes profusae perspiratione cutis, salivae secretione haud raro ad ptyalismum usque nec non expectoratione etc. adauctis.

III. In tertio gradu apparent spasmi et convulsiones, interdum trismus et tetanus, deinde vesania, mania furibunda, in aliis casibus lipothymia, syncope, subsequente nervorum resolutione et morte per soporem et apoplexiam. Cadavera, brevi temporis spatio elapso, putrescunt; sectione instituta, inflammatio ventriculi, qualem belladonna peremti offerunt, non reperitur.

Quantum maxime aequare H., si vim ejus in systema nervosum et quidem praecipue in cere-

brum nervosque ab eo originem ducentes spectes, Atropam Belladonnam, contendit V., longe autem alias ab ea distare. Vis enim H. peculiaris in systema nervosum multo magis nervorum receptivitatem minuit, quo fit, ut medici ad praxin potius utantur H. pro remedio sopiente, anodyno, quam belladonna; actionem autem nervorum internam vel eorum reactionem non adeo irritat, multo citius autem resolvit. Quantum distet a belladonna H., vires hujus secundariae in systema irritabile evidentius adhuc demonstrant. H. quidem contractionem musculorum voluntati non obedientium, excitare valet, non autem adeo intensam et diurnam, uti belladonna, quae contractio autem in musculis voluntariis ferme penitus nequit percipi; hosce H. usus potius sopit, sedat, imo resolvit. Belladonna contra musculos voluntarios non nisi per summum efficaciae gradum resolvit. Circulationem sanguinis non semper adauget H., nunquam autem insultum febrilem exquisitum movet, uti belladonna. Medium tenet, V. opinante, H. inter belladonnam et Acidum zooticum, modo autem vi cerebrum infestandi ab Acido zootico discedit, H. enim afficit cerebrum et deinde caeteras nerveas compages, Acidum zooticum contra tardius vim in cerebrum ipsum exerit. Magno autem errore teneri eos, contendit V., qui H. quoad vires Opio (omissa hujus facultate alvum obstipandi et sanguinis circulationem accelerandi) simillimum esse censeant.

## HYOSCYAMI USUS IN MORBIS.

H. in morbis, tam acutis, quam chronicis adhiberi potest; sanguinis congestiones et sthenica morbi indoles usui ejus non obstant; maxime autem commendandus in morbis non nimis inveteratis, cum imminuta reactione.

Convenit I. morbis nervorum vel ex receptivitate nimia vel ex reactione nervorum abnormi enatis;

II. systematis irritabilis actionibus anomalis, a perversa nervorum actione pendentibus;

III. morbis systematis vegetativi, imminuta secretione, aucta vero assimilatione, nervorum alienata actione conciliatis.

Contraindicationem sistunt (cf. Sundelin Handbuch der speziellen Heilmittellehre, Bd. II. p. 98.): status vere inflammatorius, debilitas paralytica, torpor ac proclivitas putrescendi.

Laudatur H. usus

I. in febribus nervosis cum hyperaesthesia organorum sensuum, pseud aesthesiis, phantasmatis et agrypnia, inde coorta (Sundelin I. c.);

II. in vesaniis, praecipue in mania, cum motibus praecipitibus; in melancholia cum convulsionibus (Greding in Ludw. Advers. med. pr. Vol. I. p. 71. sqq.;

III. in spasmis et convulsionibus summatis,  
a. in convulsionibus sine febre, ex debilitate nervosa et crethismo,

- b.* in convulsionibus infantum cum febre,  
*c.* in convulsionibus hystericis,  
*d.* in trismo et tetano,  
*e.* in epilepsia, catalepsia, chorea sancti Viti,  
similibusque,  
*f.* in doloribus ex affectione nervosa coortis;  
IV. in inflammationibus topicis, cum sensibilitate  
nimis aucta, quae vel ab initio adest, vel inter  
morbi decursum supervenit, ut in pneumonia  
typhode, pneumonia catarrhali, bronchitide,  
laryngitide etc., fieri solet;  
V. in affectionibus organorum respirationis variis,  
praesertim autem spasticis, v. c. tussi, tussi  
convulsiva, pneumonia habituali, haemoptysi;  
VI. in affectibus spasticis organorum abdominis, in  
cardialgia (Voigtel Arzneimittellehre, Bd. II,  
S. 220.), colica spastica (Gesner Arzn. in Schwab-  
ben, Bd. I. S. 194; Rademacher in Hufeland's  
Journal, Bd. II. S. 601. ff.), in colica saturni-  
na (Stoll in Mohrenheim's Beitr. z. prakt.  
Arzneik. Bd. II. S. 87.);  
VII. in hernia incarcerata;  
VIII. in rheumatismo acuto et chronico, nec non  
affectionibus arthriticis;  
IX. in quibusdam affectionibus nervosis. Vertigi-  
nem chronicam viginti annorum, plica polo-  
nica resecta exortam, H. usus sustulit (Schenk-  
becher von der Chinchina, Anh. S. 162.). Pro-  
sopalgiam Fothergillii expulit H. calomelani jun-  
ctus (Breiting in Hufeland's Journ., Bd. XXV.  
St. IV. S. 149. ff.).

XI. In indurationibus, scirrhis, carcinomatibus, viscerumque infarctibus.

XI. Nec non extrinsecus applicatus utile praebet remedium; commendatur efficaciae gratia in Iridem adversus varios oculorum affectus. Schmidt in Himly's ophthalm. Bibl., Bd. III, St. I.; Pontignon et Saisset in anal. de méd. prat. de Montpellier). Additur quoque tumorem ulcerumque fomentis.

Reil (Fieberl., Bd. I. S. 356.) cataplasma ex herba cicutae et H. cum emulsione ex camphora et opio intus data, ad stranguriam, applicato emplastro vesicatorio ortam, arcendam commendat.

#### FORMAE HYOSC. ADHIBENDI.

Formae H. sunt: pulvis, extractum, tinctura, oleum H. expressum, oleum H. infusum, oleum H. coctum, unguentum H., emplastrum H., de quibus lege Hecker (Prakt. Arzneimittellehre ex editione Bernhards, Th. I. S. 386.).

#### ANTIDOTA.

Si ab ingesto H. nondum nimis longum praeteriit tempus, antequam auxilii ferendi causa medicus accessatur, ita ut suspicari liceat, H. adhuc in ventriculo detineri, maximi est momenti, ut, quam fieri potest celerrime, evomatur; quem ad finem sumat aeger emeticum. Longiore autem tempo-

ris spatio praeterlapso, sublataque spe, ingestum H.  
 vomitu expellendi, dentur remedia laxantia. Lau-  
 dantur praeterea, uti in veneficiis per alia narco-  
 tica: remedia acida, mucilaginea, oleosa, kalina,  
 sopientia. Interdum etiam, urgentibus symptoma-  
 tibus, venaesectione et hirudinum applicatione opus  
 est. Adhibenda sunt praeterea remedia externa,  
 frictiones, sinapismi, cucurbitae sine ferro, balnea  
 tepida, lavacra de liquore ammonii caustici aliisque.

Herb. (Tiburt. Ed. I. S. 356.)  
 ex herba cicuta et H. cum emulsionem ex  
 emulsionem et opium in aqua, ad emulsionem  
 applicato emulsionem vesicatorio ostent, accon-  
 dant commendant.

FORMAE HYDROG. ADHIBENDI.

Formae H. super: pulvis, extractum, tinctura,  
 oleum, H. expressum, oleum H. infusum, oleum  
 H. succum, roboratum H., emulsionem H., de  
 pulvis loco Theker (Pharm. Arzneyk. 1811. S. 356.)  
 editione Bernharti, Th. I. S. 356.)

ANTIPOJA.

Ad ingestio H. nondum nimis fortiter pre-  
 terit tempus, autem antequam antequam medi-  
 cae inestant, sed in aqua H. adque in  
 restrictione dantur, maxime est morbus in dantur  
 partem restant, quod dantur, quod ad hunc  
 antem reger emulsionem, emulsionem restant.

---

## CURRICULUM VITAE

EX DECRETO

GRATIOSAE FACULTATIS MEDICAE BEROLINENSIS ADJECTUM.

---

Ego, GEORGIUS FRIDERICUS HÜBNER, Naveni, Mesomarchiae oppido, anno MDCCC. natus sum, patre CHRISTIANO FRIDERICO, medico, matre CAROLINA SOPHIA e gente nobili GELSDORFFIANA. Matrem carissimam mors, heu! praematura mihi, vix annos tres nato, abstulit, quam maxime lugeo. Litterarum elementis in schola Navenensi a viro eruditissimo Poppe, cognato dilectissimo, imbutum, pater carissimus me Berolinum misit anno MDCCCVI., et educandum tradidit amico intimo, Cel. Wohlers, professori in schola Regia ad tirones militares nobiles institueudos, viro omni laude mea majori, qui me, per undecim annos intra parietes domus suae receptum, filii ad instar educavit, et cui, pro tot et tantis in me collatis beneficiis, publice gratias ago ex animo quam maximas. Initio frequentavi scholas virorum doctissimorum BUSSE et BARTELS; anno aetatis autem decimo gymnasium Regium Gallicum, quod tunc temporis rectore Ill. ERMAN florebat, adii. Anno MDCCCXIV. patrem carissimum, typho contagioso, tum temporis

grassante, correptum, acerba mihi abstulit mors! —  
Gymnasium dictum anno MDCCCXVI., testimonio ma-  
turitatis munitus, reliqui, et numero academicorum ci-  
vium, Rectore Universitatis litterariae Berolinensis Mag-  
nifico Ill. LINK, die XXI. mensis Octobris ejusdem  
anni adscriptus, inter medicinae studiosos a Perill.  
HUFELAND, Facultatis medicae tunc temporis Decano  
summe spectabili, receptus sum. Ab illo tempore hisce  
interfui praelectionibus:

Ill. KNAPE de Osteologia, Syndesmologia, Splanchnologia et Medicina forensi; Ill. RUDOLPHI de Anatomia tam humana quam comparata, de Encyclopaedia et Methodologia medica, Physiologia, Anatomia organorum sensuum et pathologica; qui viri Ill. etiam artem cadavera rite secandi in Theatro anatomico me docuerunt; Perill. HUFELAND de Institutionibus medicinae practicae et Therapia speciali; Ill. LINK de Botanice, Historia naturali, Pharmacologia et Toxicologia; Cel. ERMAN de Magnetismo, Electricitate et Galvanismo; Cel. OSANN de Materia medica; Cel. HAYNE de Botanice; Ill. BERENDS de Semiotice et Morbis mulierum; Cel. TURTE de Chemia et Physice; Ill. HERMBSTAEDT de Chemia; Exp. BOEHR de Pathologia generali; Ill. HORN de Pathologia et Therapia speciali, de Vesaniis et Introductione in medicinam clinicam; Exp. CALCKER de Logice et Psychologia; Ill. GRAEFE de Ophthalmiatrie et morbis ossium dynamicis; Ill. RUST de Chirurgia, Akiurgia et morbis venereis; Ill. KLUGE de Acologia et Arte obstetricia, tam theoretica quam practica, deque Ossibus fractis et

luxatis; Ill. NEUMANN de Vesaniis; Cel. JÜNGKEN de Akiurgia, Acologia, Ophthalmiatrice et Ophthalmochirurgia; Cel. WAGNER de Politia medica audiui; Ill. DE SIEBOLD duce in Machina me exercui. —

Interfui Institutionibus clinicis Perill, HUFELAND, Virorumque Ill. BERENDS, GRAEFE, SIEBOLD, RUST, NEUMANN.

A mense Octobri anni MDCCCXXIII., ut Sacrae Regiae Majestati satisfacerem, ad idem anni MDCCCXXIV. tempus stipendia feci.

Tentamine examineque rigoroso rite superatis, spero, fore, ut, dissertatione thesibusque palam defensis, Gratiiosa Facultas Medica summos in Medicina et Chirurgia honores mihi impertiat.

---

THESES DEFENDENDAE.

---

I.

*Chirurgus est optimus medicus.*

II.

*Tartarus stibiatus est remedium antiphlogisticum.*


III.


*In curandis morbis non opus est remediis pharmaceuticis.*

IV.

*Hypochondria et Hysteria diversi sunt morbi.*

---





INDEXUS CAPITULORUM

